



Kern 3491
(1-14)

(12)

D E

CONCRETIONIBUS
ORGANORUM MORBOSIS,

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE,

P R A E S I D E

IOANN. CHRIST. REIL,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT., THERAP. PROF. PUBLIC. ORDIN.
INSTIT. CLINIC. DIRECTOR., CIVITAT. HALENS. PHYSIC.
ACAD. NAT. CURIOS. SOCIO,

P R O

GRADU DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME ACQUIRENDO

D. XIV. MART. MDCCXCV.

PUBLICE DISPUTABIT

IOANN. FRIED. GUILIELM. HELLER,

FRIEGNIZENSIS,

HALAE,

TYPIS FRANCKIANIS.



D. 2

CONFERENTIA

ORDINARIUM

CONFERENTIA FACULTATIS MEDICAE

1774

ACTA

IN QUAE ADIUNGUNTUR
ACTA SENATUS UNIVERSITATIS
ET FACULTATIS MEDICAE
SALONAE

1774

ORDINARIUM

CONFERENTIA

1774

ACTA

IN QUAE ADIUNGUNTUR
ACTA SENATUS UNIVERSITATIS
ET FACULTATIS MEDICAE
SALONAE

1774

ACTA

CONFERENTIA



V I R O

CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

G. A. H. BIERSTEDT,

CHIRURGO AULICO MERITISSIMO,
COGNATO, OMNI, QUA PAREST,
OBSERVANTIA COLENDO,

HAS STUDII ACADEMICI PRIMITIAS
CONSECRAT

AUCTOR.



DE CONCRETIONIBUS ORGANORUM
MORBOSIS.

I.

Generalis concretionum explicatio.

§. I.

Concreta praeter naturam organa vocamus, quoties cohaerere eadem ad parietes ita videmus, ut separari a se invicem nequeant, sine laceratione aut laceratione partium ipsarum. Tali modo distinguitur concretio partium a sola contiguitate, quam in variis corporis humani organis animadvertimus: contigui sunt pulmones et pleura in statu naturali, praeter naturam vero cohaerent saepius ita, ut separari a se invicem absque violentia utrique parti illata nequeant.

A

§. 2.

Concretio haec, quam tractare hic proposuimus, diversa est a symphyfi vasorum, ubi parietes eorum intime secum cohaerent, dum vel collapsa vel contracta vel dum parietes nimis incrassati sunt. Symphyfis versatur in vase unico, concretio vero organa tota complectitur. In symphyfi cavitas interna vasorum evanescit, in concretionem organorum aperta manet, imo magis dilatatur, quia uberius affluunt humores ad cohaesionem adaugendam.

§. 3.

Iam vero, quanam sint causae, quibus producat praeternaturalis ejusmodi cohaesio, videamus. Supponit ubique excretionem lymphae nutritiae uberiolem, quae primum tenacior facta, dum e vasis effluxit, filamenta refert, quae in incipientibus pericardii praesertim cum corde concretionibus satis conspicua sunt. Lympha enim coagulabilis, quamdiu in vasis sanguiferis circumvehitur intime cum sanguine mixta a viribus vasorum muscularium perpetuo motu alterno oscillatorio ita agitatur, ut concrecere numquam aut coagulari possit. Fit autem haec coagulatio lymphae nutritiae maxime ope quietis, quam recipit dum ex vasis ipsis in telam cellularem aut in cavitates corporis, e tela cellulari conflatas, effluit, ubi motui cordis et vasorum amplius non

subjecta est. Dum lymphæ assiduo affluere pergit, majorem mox tenacitatem atque insignius robur acquirit. Vasa sanguifera partium vicinarum deinde in eam producuntur ac prolongantur, ut ipsa hæc lymphæ, vasis his intertextæ, organicam membranam ex firmiore tela cellulari conflatam, referat. Sola ista filamentorum lymphaticorum generatio brevissimum tantum tempus requirit; ut vero ex eisdem tela cellularis aut massa organica constituatur, temporis spatium multo longius postulatur. Nonnumquam quoque nova ista cellularis tela fibris muscularibus instructa esse videtur, quarum inquisitio vero cum satis ambigua sit, decernere non ausim, an vere adfuerint in ejusmodi concretionibus. Quodsi unquam adfuerint, vitium certe est congenitum, quippe cum apud embryonem nutritio multo celerius atque vegetius exerceatur, quam in adulto.

§. 4.

Priusquam ulterius progrediamur, supponendum est, lympham eandem, quæ concretiones tales producat, vere organicam, aut tela cellulari saltem conflatam esse debere, cum sæpius lymphæ crassior conglutinet partes, atque tali modo spurias efficiat concretiones. Ancyloblepharon, seu concretio palpebrarum, spurium occurrit, quod a conglu-

tinatis, ope smegmatis e glandulis meibomianis secreti, palpebris pendet, facile vero relaxantibus et attenuantibus tolli potest. Eodem modo spuria datur concretio, ubi fortior tantum contractio parietum cavitatis adest. Atresia pupillae et ani adest videntur saepius, ubi tantum fortior contractio iridis et tunicae muscularis intestinorum eorum cavitatem diminuit.

§. 5.

Ut autem causas etiam remotas, quibus concretio partium morbosa producitur, explicemus, primum animadvertimus, saepius connatum esse vitium, sicut exempli gratia pupillae atresia ope membranae pupillaris, quae ad septimum usque mensem in foetu obvia esse solet, in his casibus vero etiam post partum persistit, conficitur. Sic quoque atresia vulvae et ani gignitur membranae ope, quae, ab integumentis communibus orta, naturalia foramina occludit. Sic meatus auditorius raro membrana propria a nativitate inde obstruitur, quod vitium ad efformationem foetus in utero materno pertinet.

Huc quoque ii pertinent casus, ubi membrana seu ligamentum naturale morbosam assumit crassitiam, atque eodem modo intime conjungit parietes binos aut organa plura. Hymen naturali statu membranam

femilunarem referens, qua pars tantum introitus in vaginam obstruitur, saepius ita firme ac intime adhaeret parietibus vaginae, ut penitus eandem occludat. Eodem modo frenulum linguae, quod eadem in statu naturali cum partibus mollibus linguae subjacentibus conjungit, nimis tenax et firmum evadere atque eadem ratione cohaesionem praeternaturalem producere potest.

§. 6.

Cum ex lymphae coagulabilis e vasis sanguiferis nimia excretionem hoc praeternaturalis cohaesionis vitium pendere semper videatur, ea etiam omnia producant concretiones modo dictas, quae nutritionem ac restaurationem partium praeter naturam adaugere possunt. Ex eadem ratione in infantum cadaveribus meninx dura cum calvariae interna lamina multo arctius cohaeret, quam in adultis, quia nutritio eo vegetior est, quo propius subjectum origini suae. Pleraque etiam concretiones ob eandem causam connatae sunt, quia millies fere vegetior atque celerior est nutritio embryonis quam adulti, quia quoque restauratio partium amissarum in embryone multo insigniore fit rapiditate.

§. 7.

Deinde vero continua vicinia partium aut partium, qui postea concreescere debent, saepius uni-

cam praebet causam occasionalem, qua concretiones ex lymphae excretae copia majori generantur. Dum enim semper sibi invicem incumbunt membranae aut parietes vasorum, lymphae, quae ex superficie altera parietis continuo excernitur, facilius quoque efficit, ut alter alteri agglutinetur paries. Vasorum quoque extremitates, quae terminantur ad superficiem parietis, facilius producuntur in extremitates vasorum ex altero pariete occurrentium. Tali modo vidimus ancyloblepharum ortum fuisse post operationes cataractae, ubi oculorum palpebrae ad lumen cavendum, perpetuo oclusae teneri deberent. Eadem ratione iris cum cornea nonnumquam concrevit, dum post operationem cataractae effluxit humor aqueus ex cameris anterioribus.

§. 8.

Tunc respiciendum ad relaxationem vasorum lympham coagulabilem vehementem, qua generari posse congectionem humorum, ex principiis pathologiae generalis patet. Quodsi enim nullus adfuerit localis stimulus, qui attrahat humores a tergo impulsos, hi quidem humores a vi vitali propulsi, eo celerius atque majori cum impetu irruunt, ubi minora adfunt obstacula, ubi itaque vasa aperta, dilatata, aut relaxata sunt, faciliusque recipiunt humores, quamquam haud promovere eosdem ulterius possint,

deficientibus viribus et irritabilitatis et sensibilitatis. Ejusmodi congestiones humorum lymphaticorum, a sola laxitate atque debilitate oribundas manifesto videmus in sudoribus februm hecticarum colliquativis, in phthisi pulmonum pituitosa, in diabete torpido, in fluxu coeliaco. Qui humores nisi egerantur, appositi uberius partibus solidis, cohaesionem hanc praeternaturalem efficere debent.

§. 9.

Ad hanc causam generalem referendae concrectiones, quae in mortis agone ortae, post mortem conspiciuntur, quamvis vivo aegrotto nullum exciterint symptoma. Brevissimo saepius tempore eadem produci possunt. Discernuntur autem ab iis, quae diu ante mortem jam adfuerant, firmitate minore et defectu vasorum nutrientium. Quoties enim vasa pertexunt tales concrectiones, toties etiam vis vitae in eadem egit, atque productiones vasorum ex vivis partibus vicinis generavit. Filamentosa potius sunt ejusmodi concrementa, aut ex tela cellulari tantum conflata esse videntur. Eodem modo polypi saepius et extravasata post mortem in conspectum veniunt, quamquam aeger, dum viveret, nullum fere symptoma inde perpeffus fuerit.

In quod vitium si speciatim inquiramus, alia adhuc causa facere aliquid ad gignenda eadem concrementa videtur, quae praesertim cum laxitate deinde etiam cum majore irritabilitate et vividiore, agitatione vasorum conjungitur. Versatur haec causa in faciliori partium sanguinem propius constituentium secessu, qui proclivitatem majorem lymphae coagulabilis, a cruore et ferosa sanguinis parte secedendi, supponit. Post quamcunque fere nimiam vasorum agitationem, qua sanguis vehementius impellitur in partes ipsi ante non dicatas, secessum eundem faciliorem videmus. Sic inflammatio praeprimis, quae motum sanguinis nimis acceleratum atque insigniorem gradum congestionum complectitur, producit fere semper secessum faciliorem partium sanguinem propius constituentium, cujus effectus frequentissimus est crusta phlogistica sanguini innatans, quae dum firmior fuerit et magis elastica, orgasmum et congestiones sanguinis, quibus secessio facilior lymphae producta fuerit, supponit. Ipsa quoque suppuratio, num aliud quid est, ac secretio morbosa, ope secessus facilioris lymphae coagulabilis, statum inflammatorium sequens? Ideoque etiam sequelae hujus nimiae agitationis vasorum, dum nimis relaxantur, producunt secessum faciliorem partium, atque ejus ope concreciones praeternaturales.

§. II.

Hinc peculiaris, meo arbitrio, assumendus inflammationis exitus, qui transfudationis nomen meretur: complectitur autem secessum faciliorem lymphae nutritiae ex vasis relaxatis post intensam agitationem. Quo facto vel obducitur superficies partis antea inflammatae crusta lymphatica, quae variis coloribus interstincta esse potest, plerumque vero album aut flavicundum colorem refert, sicut post peritonitidem puerperalem seu post febrem puerperalem, lacteus color ejusdem lymphae animadvertitur, qua viscera fere omnia abdominalia obducuntur.

§. 12.

Ut autem hic exitus inflammationis, qui et transfudationem et concretionem insequentem complectitur, gignatur, necessarium est, ut inflammatio altiore gradum vehementiae non obtineat, ut magis chronica sit, ut sedem habeat potius in partibus laxis aut glandulosis, atque ut eae causae admotae fuerint, quae laxitatem vasorum producere possunt. Inflammatio glandularum Meibomianarum exempli loco inservire potest. Quoties enim haec oritur, smegmatis, butyrum referentis, copia uberrima ex orificiis ductuum excretoriorum tarsi excernitur, quo etiam crisis ipsa morbi paratur.

Hac transfudatione smegmatis Meibomiani ipsum denique ancyblepharon generari potest. Hinc chronica etiam inflammatio vulvae, seu excoxiatio parietum ipsius internorum occasionem praebet, qua atresia vulvae producitur. Hinc quoque internae partes, quoties concreatæ apparent, toties fere statum inflammatorium aut inflammatorio vicinum supponunt. Hinc fit, ut concreciones etiam sequantur stimulum morbosum a sympathica passione partium pendentem, qui vere inflammatorius esse non semper debet, huic tamen propior plerumque esse videtur. Ovaria muliebria, cum peritoneo et cum ipsi intestinis concreta, conspiciuntur quam maxime in cadaveribus prostibulorum, quæ diu multumque se stimulis uteri et ovariorum exposuerunt. Cum autem demonstratum sit, coitum quemcunque producere congestiones humorum versus uterum et ovaria, inde explicari facile potest, quantopere nimis copiosis his congestionibus et laxitas vasorum uterinorum, secessio lymphæ nutritiæ ceterarumque partium sanguinis, et præternaturalis nutritio promoveri debeat.

§. 13.

Hinc etiam ortus concrecionum partium internarum post defectum evolutionis perfectæ morborum cutaneorum explicari potest. Quodsi cum morbi

cutanei supprimuntur, a stimulo cuti antea applicito, sympathice vero versus internas partes propagato, oriuntur sympathicae et succedaneae secretiones, quibus nimia lymphae nutritiae copia excernitur, tali-que modo concreciones morbosas producit. Synizesis oculi sequitur non raro scabiem retropulsam: ab arthritide imperfecte evoluta, aut, ut vulgo dicitur, retropulsa, oriuntur concreciones viscerum thoracis, quam anginas pectoris falso nominavimus. Quae quidem sympathicae sequelae si eo sensu sumantur, quasi humores ipsi ex cutaneis vasis retrovehantur ad internas partes, hoc contra physiologicam rationalem theoriam manifesto militat. Unice potius respiciendum esse videtur ad sympathiam partium internarum cum systemate cutaneo, quae, ut similis status viscerum internorum producatur, si cutis laboravit, efficit.

§. 14.

Hinc etiam fit, ut partes, quae concrecioni fa-vent, fere plerumque iusto crassiores inveniantur, quippe cum magnitudo organorum adaucta sequatur multas inflammationes, praesertim eas, quae transudationem pedissequam habent. Concretio iridis cum cornea staphylomatis, seu verae incrassationis corneae multoties effectus est. Dum meninges cum cerebro plus aequo cohaerent, cerebrum

etiam incrassatum plerumque reperitur. Viscera abdominalia, maxime vero ventriculus cum hepate, concreta junguntur cum incrassatione omenti et peritonaei, aut majori adipis accumulatione.

§. 15.

Quae cum ita se habeant, quivis facile videbit, statum inflammatorium chronicum, qui et suppurationes lentas et exulcerationes comitatur, eodem modo concretionibus favere: hinc itaque ulcera organorum praesertim interiorum juncta saepe conspiciuntur concretionibus insignibus, quae a transsudatione lymphae nutritiae manifesto pendent. Ita in phthisi pulmonum ulcerosa pleura saepe intime pulmonibus adhaeret; sic etiam cum hepatis chronica exulceratione ligamentorum novorum generatio nonnumquam producitur, quibus hepar intime necitur et cum diaphragmate et cum aliis partibus vicinis. Ita quoque exulceratio glandis penis et praeputii concretiones saepius morbosas harum partium gignere conspecta est.

§. 16.

Praeter statum inflammatorium stases quoque sanguinis in vasis venosis multum facere ad generandas concretiones videntur: siquidem, sanguine tar-

dius iusto in venas reſorbto, aut vere in iisdem ſtagnante, regreditur ſanguis continuo affluens per ramos venoſos alios, atque motu inverſo progreſſivo revehitur in eas partes, ubi ob quietem facile ſecedere in partes propiores poſſit. Hinc patet, cur concrectiones partium internarum ſtipatae ſaepe ſint ſcirrhis et ſtaſibus ſanguinis in ſyſtemate venae portarum. Hoc enim ſyſtema venoſum, per totum abdomen diſfuſum, valvulis carens, ceteris venis facilius motum inverſum ac progreſſivum perpeti poteſt. Quae quidem paſſio cum affectus haemorrhoidales et arthriticos plerumque ſequatur, concrectiones viſcerum abdominalium cum hiſ morbis ſaepe quoque juncti ſunt.

§. 17.

Hinc elucet, cur in aſcite et aliis hydropicis tumoribus concrectiones tam crebrae animadvertantur. Hydrops enim ſaepeſſime tumores ſupponit vel ſcirrhosos vel alius generis in viſceribus abdominalibus obvios, aut ſaltem ex ſtaſibus ſanguinis in vaſis abdominalibus ſaepeſſime originem ducit. Cum hiſ vero concrectiones organorum plerumque junctae ſunt, ideoque etiam cum hydrope.

§. 18.

Ultimo loco tanquam cauſſa concrectionum conſiderandum venit corpus peregrinum, exter-

num, quod in naturalia foramina illabitur, aut parietibus et superficiebus organorum intime adhaeret, ut stimulum praebeat, quo humores lymphatici nutritii alliciuntur, atque ita membrana oritur, quae cohaesionem praeternaturalem producit. Excrescentia fungosa internae superficiei uteri, illabens orificio uteri, nonnumquam illud ita obstruit, ut plenaria inde sequatur concretio, quae atresia dicitur. Cataracta dum operatione extracta est, nonnumquam remanent frustula fractae lentis crySTALLINAE, quae ilapſa in pupillam, concretionem ipsius producere possunt. Sic quoque cataracta sic dicta mobilis idem vitium generat, dum protrusa lens crySTALLINA in pupillam, eandem penitus occludit.

Nonnumquam etiam ab externis compressionibus idem effectus producitur. Tumor externus cysticus comprimens pericardium, ejus concretionem cum corde promovet: a compressione thoracis, ope incurvati situs et allisionis continuae ad tabulam, oriuntur saepius concretiones pulmonum cum pleura praeternaturales, quas in iis hominibus, qui diu multumque scribendo vitam degunt, saepissime conspicimus. Mulierculae quoque thoracibus nectilibus abutentes, periclitantur sanitatem, dum compressa assiduo viscera thoracis et abdominis facilius inter se cohaerere praeter naturam soleant,

§. 19.

Quae omnia, ut melius explicentur et simul fe-
quelae dilucidentur, quae variae ex concretionibus
oriri possunt, ea hujus vitii genera libet indicare,
quae et ceteris frequentiora et graviora videntur.

II.

EXAMEN SPECIALE CONCRETIONUM
PRAECIPUARUMA. *In capite.*

§. 20.

Menyngum concretio.

Menynges cerebri vel inter se, vel cum cranii
interna superficie vel cum cerebri corticali substan-
tia arctius justo saepius cohaerere atque concre-
scere dicuntur. Primum jam supra (§. 6.) docuimus, me-
nynges cum cranio saepius apud infantes ita cohaere-
re ut nullibi postea apud adultos similis occurrat con-
cretio. Deinde certum est, varios occurrere casus, ubi
post mortem ejusmodi cohaesiones reperiuntur, ne-
que tamen ullum adfuit symptoma earundem, dum ae-
ger viveret: qui quidem casus ad id pertinere viden-
tur, quod de agone mortis, causa concretionum, supra
(§. 9.) monuimus.

Ubi autem hae adfunt concrectiones vel durae menyngis cum cranii interna lamina, vel menyngis utriusque secum invicem, vel piaë menyngis cum arachnoidea et corticali cerebri superficie, ibi fere semper adfunt foramina cranii aut fossae excavatae, praefertim vero, dum firmior est concretio ac inveterata. Foramina vera, quibus cranium perforatur, a MORGAGNIO *) et GREDINGIO **) maxime animadversa, ab his auctoribus etiam optime describuntur. Deinde incrassata plerumque atque indurata dura mater invenitur, pia vero ita pituitosa ac laxa, ut crustam fere phlogisticam sanguini inflammatorio innatantem referat. Tum glandulae sic dictae, seu corpuscula rubicunda aut flavobrunneae ad utrumque latus sinus falci-formis, in ejusmodi concrectionibus fere semper magnopere turgida atque tumefacta apparent, ut colliculos referant arachnoideae firme inhaerentes ipsamque duram menyngem elevantes.

§. 21.

Vasa insuper menyngum plerumque mirifice distenta atque varicosa conspiciuntur, ubi menynges secum invicem arctius cohaerent. Patet enim ex ante

*) De sedib. et caus. morb. ep. IX. n. 22.

**) Verm. Schriften Th. II, S. 84. 93.

tea (§. 16.) allatis, sanguinis retrogradum motum per venas, seu stases ejusdem ad concretionem occasionem praebere: hinc itaque, ubi varices venarum menyngearum adfunt ac motum sanguinis retardant, concretionem facilius oriuntur.

Effusum denique laticem aquosum aut sanguinem intra ventriculos cerebri, aut inter meninges et corticem cerebri saepius adjunctam concretionibus vidimus: unde concludimus eo modo faciliorem secessum lymphae coagulabilis oriri, dum extra vasa sanguis excretus fuerit (§. 10.).

§. 22.

Quod symptomata attinet, quae sequi solent ejusmodi concretionem, dum viveret aeger; nonnumquam nulla adfuisse, illas itaque agone mortis productas esse, ponamus. Nonnumquam vero ita firma est adhaesio meningum, atque variis pertexta vasis sanguiferis, ut omnino jam diu adfuisse videatur, quamvis symptomata nulla fere inde exsurrexerint. Quae difficultas ut tollatur, hoc praesertim premit GREDINGIUS *), quod assuescere demum possit huic passioni homo ita, ut nullam inde sentiat postea molestiam.

*) L. c. p. 102.

Alioquin cephalaea pertinax fere semper sequi solet tales meningum concretiones, quas praesertim WEPFERUS plerumque suspicabatur, quoties dolores capitis pernicaces quereretur aeger *). Sic quoque hemicrania sinistri lateris ab eadem, tanquam sequela concretionis in sinistro cerebri latere observatae, animadversa est **). Somnolentia assidua et capitis temulentia cum variis sensuum illusionibus ex eodem fonte manasse quandoque videbantur. In melancholicis et maniacis aut epilepticis fatis frequenter reperiri hoc vitium GREDINGIUS ***) egregie monet. MORGAGNIUS vidit idem in cadavere hominis, qui post cephalaeam pertinacem epistaxin perpeffus erat solito fortiorem; quam sequebatur odoris defectus ac epilepticorum insultuum copia, quae denique mortem accelerabant. Concretio haec stipata erat callosa ac indurata cerebri indole ****).

HAENIUS vidit post cataractam, cui ut mederetur, cauterium actuale praepostere applicuerat, infundibulum cerebri cum pia matre concretum, ubi

*) Observ. d. affect. cap. p. 21. S.

***) lb. pag 132.

****) L. c. p. 98. f.

*****) MORGAGNI, ep. IX, . n 25.

opticos haec nervos investit, plenumque materie pultacea et quasi cretacea, qua comprimi debuit opticus nervus *).

Quod apoplexiae vel sequela vel causa esse possit haec cohaesio praeternaturalis, confirmat ejusdem auctoris, ut et aliorum observatio. HAENIUS ad latera sinus fauciformis maxime insignes observavit concretiones et menyngum secum invicem, et cum cranio **).

§. 24.

Ancyloblepharon.

Concretio vel plenaria vel partialis palpebrae utriusque sive palpebrarum cum adnata hoc nomine insignitur. Symptomata, quae inde producuntur, versantur in impedito visu, qui tantum strabismus est, dum concretio solummodo partialis, qui vero coecitatem veram producit, dum tota tarsi utriusque superficies hac concretionem laborat.

Cum puncta lacrimalia concresecunt, lacrimae in ductum nasalem resorberi nequeunt, ideoque re-

*) Heilungs - Methode B. III. Th. VI. K. 6. S. 186.

**) L. c. B. II. Th. IV. K. 5. S. 133.

fluunt per totam adnatae superficiem, dolores adaugent, tarsum excoriant, bulbos ciliorum irritant, ut ectropium aut entropium oriatur.

Causa hujus vitii complectitur vel perpetuum palpebrarum contactum in doloribus oculorum et post operationes (§. 7.) vel inflammationes tarsi ejusque glandularum lentas, quae transsudationem pediffequam habent. (§. 11. 12)

§. 25.

Concreciones partium oculi internarum.

a- *Corneae cum iride.* SYNECHIA.

Quoties hoc adest vitium, toties etiam pupilla in conspectum fere non venit, sive potius naturali sua forma destituitur: namque, arcte adhaerens corneae et undique cum hac concreta, perditum it mobilitas pupillae, ac naturalis etiam color et iridis et pupillae et corneae mutatur, cum nulla adfit camera anterior, neque aqueus humor distinguat iridem a cornea. Ipse quoque aeger vel nihil videt ob pupillae immobilitatem, vel, si quid viderit, obscure id fit, ac quasi per nebulam transpicit objecta.

Caussae hujus vitii quaerendae in inflammatione oculorum vehementiore, quae et corneam et iridem simul afficit, atque transsudationem fortio-rem pro-
genuit; deinde in suppuratione corneae ac tumoribus purulentis posteriorem corneae paginam extendenti-
bus, quibus et error nutritiae lymphae et transuda-
tio ejusdem uberior generatur. Deinde etiam sta-
phyloma, seu increffatio corneae praeternaturalis,
ab ipso nutritionis errore orta, occasionem saepius
praebet, qua synechia efficitur. Aut solus denique
collapsus camerae anterioris, seu corneae cum iride,
accusandus esse videtur, qui post laesionem corneae,
dum lens crySTALLINA extrahitur aut deprimitur, ortus,
aquosi laticis defectum secum affert.

§. 26.

b. *Pupillae. Arrefia oculi. Phrbifis pupilla.*

Praeternaturalis haec concretio coecitatem
semper generare debet, cum lucis radius nullus par-
tes oculi internas intrare, neque retinam ferire
possit. Credebatur autem olim vitium existere non
posse sine vacuitate camerarum: ex variis tamen ob-
servationibus elucet, oriri identidem posse, salva co-
pia sufficiente humoris aquei. Quod dum fit, spa-
sticus seu inflammatorius status iridis accusandus esse

videtur. Saepius enim contingit ejusmodi vitium, dum oculorum acies nimis intenderetur a subjectis valde irritabilibus et debilibus: aut dum vehementes praegressae essent ophthalmiae. Nonnumquam quoque sequebatur metastasin morborum cutaneorum (§. 13.), scabiei aut ulcerum inveteratorum, quae secretiones sympathicae et succedaneae gignebantur: Deinde vero congenitum esse potest vitium, quod a perdurante post partum membrana pupillari pendet (§. 5.) Cataracta quoque mobilis, secundum auctorum observationes *), producit saepius hanc atresiam, dum in pupillam dilatatam prolabitur, atque hanc penitus occludit. Post operationem quoque cataractae frustula lentis induratae nonnumquam remanent, quae emergentia pupillae marginibus adglutinantur, atque ita pupillam ipsam penitus obstruunt. Non raro etiam suppuratio partium vicinarum cum puris incrassatione et sanguinis juncta est, ut coagulis puris aut sanguinis pupilla demum obstruatur **).

*) HENKELS Samml. medic. und chirurg. Anmerk. II, n. 6.
MORENHEIMS wienerische Beiträge B. I. S. 283. RICHTERS
Anfangsgründe d. Wundarzneik. B. III. S. 176.

***) WENZELS Abhandlung vom grauen Staar, S. 188.

S. 27.

c. *Capsulae lentis crystallinae cum iride. Cataracta concreta.*

Haec quidem concretio cataractae obfuscationem fere semper producit. Cataracta ipsa proxime pone pupillam sita, ipsaque pupilla multo magis opaca esse videtur, quam alibi. Circulus obscurus, qui alioquin in cataracta mobili observatur, hic non adest: pupilla ipsa immobilis est: aeger lucem et tenebras discernere nequit. Dum vero adhaesio incompleta fuerit, ad latus alterum distantia quaedam iridis a lente crystallina observatur: per quod intervallum cum incidant luminis radii, distinguere potest aeger lumen a tenebris. Pupilla ipsa inaequalis, angulosa, longitudinalis, obliqua videtur; irregulariter movetur *).

Nonnumquam vero capsula lentis crystallinae cum tunica hyaloidea concrefcit, quod vitium vero nonnisi in operatione dignoscitur *).

S. 28.

Ancyloglossum.

Concretio praeternaturalis linguae cum partibus oris ope frenuli linguae ita vocatur. Quod frenu-

*) PELLIER de QUENGSY recueil de mém. et d'observat. sur l'oeil, p. 297. 301.

**) WENZEL, S. 117.

lum in statu naturali sub media parte linguae, ab integumentorum oris communium duplicatura formatum, linguam cum his partibus ita conjungit, ut, admota palati fornici superiori lingua, satis tendatur atque fere rigidum evadat. Si autem congenito vitio hoc frenulum mole sua crescit, atque nimis crassum et firmum est, lingua mobilitate sua destituitur. Quo insignior haec est concretio, eo magis et deglutitio et loquela impediuntur: ipsa quoque saliva praeter voluntatem assiduo affluit, cum ductus excretorii whartoniani, ad marginem anteriorem fraenuli terminati, perpetuo comprimantur ac irritentur. Oritur autem haec praeternaturalis cohaesio, praeterquam quod connata sit, ab inflammationibus et exulcerationibus partium, quae in angina, in variolis, aphthis et aliis morbis contingunt.

§. 29.

Auris Atresia.

Haec quidem concretio praeternaturalis primum ab Hispano ALBUCASI *) observata est, qui et congenitam esse, et sequelam morborum auris externae, ulceris nimirum et fungosorum tumorum dixit. Post eum

*) Chirurg. lib. II. sect. 7. p. 134. et Channing.

BARTHOLINUS *), LACHMUNDIUS **) et HENKE-
LIUS ***) idem vitium animadverterunt, ut alteru-
trius auris lobus tantum adesset, foramen vero peni-
tus deficeret.

B. *In Thorace.*

§. 30.

Pulmonum cum pleura concretio.

Ex vasis arteriosis pectoris minimis continuo
exhalat latex lymphatico-ferosus, quo madet tota
interna pleurae superficies. Resorbetur in statu na-
turali assiduo a vasis lymphaticis: quae resorbio si
impediatur, accumulatur humor, turget, ac, cum ad
classim lymphaticorum pertineat, in coagulum abit.
Hinc oriuntur primo filamenta gelatinosa, lymphati-
ca, quae pulmones cum pleura locis, variis maxime
posteriore et superiore parte, conjungunt. Haec quidem
coagulatio in adutorum cadaveribus adeo vulga-
ris esse videtur, ut a veteribus, imo a variis re-
centioribus anatomicis pro fratu naturali vendita
sit. Ligamentorum pulmonis nomine vete-

*) Cent. VI, Obs. 36.

**) Eph. nat. cur. dec. I. ann. 6. 7. Obs. 178.

***) Neu Anmerk. n. 10.

res insigniverunt hanc cohaesionem *). Quandoque sola filamenta aut membranas molliores, flavidas referunt, nonnumquam vero paullo firmiora haec sunt tenaciora filamenta. Ubi quidem vasis destituta conspiciuntur, agonis ipsius et relaxationis, sub agone mortis contingentis, sequelae esse videntur. (§. 9.) Nonnumquam vero ideo symptomata nulla, vivo aegroto, protulisse videntur, quia assuescere ad hoc vitium aeger potest. Cum tenaciora sunt haec ligamenta, pleura ipsa etiam, ut et aorta, variis laborant indurationibus et ossificationibus, quae ex errore nutritionis eodem originem duxerunt, a quo ligamentorum generatio pependit. Non raro vero, dum vivente aegro orirentur hae concretiones, instructae sunt vasorum sanguiferorum insigni copia, quae ex vasis intercostalibus et iis nascuntur, quae in pleuram transeunt, nequaquam vero ex vasis pulmonalibus.

§. 31.

Frequentius quoque secundum Stollii observationem pulmo reperitur, sacco quasi coriaceo, crasso atque e variis membranis, sibi invicem superfratis confecto, circumdatus, inque angustum sub-

*) HALLER, elem. physiol. vol. III. p. 121.

inde spatium conclusus. Qui saccus hinc p. leurae illinc pulmonibus nectitur, ut ab utroque solutu difficilis sit. Pollicis crassitiem nonnumquam habet, atque etiam hac majorem. Substantia tenax, coriacea, subinde fere cartilaginea fuit, et aliquoties pleurae incrassatae similitudinem prae se tulit. Non unius vero tenacitatis membranae sibi invicem impositae erant, sed intimae firmiores, extimae minus firmae, et, quae ex nupero morbo nascebantur, adhuc gelatinosae.

§. 32.

Ortus concretionum harum firmiorum vel ex stata inflammatorio pulmonum derivandus, vel ex stasi sanguinis in vasis pulmonalibus (§. 16.). Hinc post plurimos pectoris morbos, post pneumoniam, maxime catarrhalem, chronicam et latentem, post asthma diuturnum, praesertim ex arthritide anomala generatum, quod anginam pectoris perperam dicunt, post phthisin et ulcerosam et scrofulosam, post hydropem pectoris, post tussim convulsivam et varias alias cachexias concreciones eadem reperiuntur. Dum adsunt membranarum praeternaturalium strata, de quibus supra (§. 31.) mentionem fecimus, ex numero stratorum fere de numero praegressarum inflammationum concludi posse, STOLLIIUS arbitratur, cum, quo recen-

tior fuerit inflammatio, eo laxior etiam atque magis gelatinosa observetur ejusmodi membrana.

§. 33.

Symptomata, quae hoc vitio producuntur, complectuntur praesertim respirationis difficultatem et pulsuum mutationem. Asthma saepe pertinax, anxietas intolerabilis cum sibilo quodam peculiari et rursu refractaria sicca variisque convulsivis motibus iungitur. Simul adest palpitatio cordis et pulsus vacillans vel intermittens, satisque irregularis: asthenia musculorum: color faciei ruberrimus, turgor vasorum capitis et cephalalgia pertinax. Accedunt lipothymici affectus ipsaque saepius apoplexia, quae scenam nonnumquam concludere visa est.

§. 34.

Causae quaerendae in inflammatorio statu sive pulmonum, sive pleurae, qui praesertim dum lentus fuit has concretiones producere solet. Deinde certum est, hydropicos tumores pulmonum, scirrhusa et scrofulosa tubercula, ipsasque stases sanguinis in vasis pulmonalibus non raro occasionem praebere, qua id vitium efficitur. Hinc post repulso aut imperfecte evolutos cutaneos morbos: hinc etiam in

veteribus subjectis fatis frequentes occurrunt hae concretiones.

§. 35.

Observatio.

Ut hanc concretionum speciem exemplo illustrem, liceat narrare historiam morbi, quem, clinicis exercitationibus, duce ILL. REILIO, praeceptore meo usque ad cineres colendo, vacans observavi.

H. . . adolescens, XVII annos natus, qui per totam fere hyemem couquestus erat anorexiam, obstipationem alvinam et dolores colli pectorisque, die XVI. Febr. 1795. corripitur vomitu vehementi pituitoso, bilioso, quem sequebantur dolores capitis, agrypnia et calor insignis. Mater, levius malum existimans, quo filium laborare videbat, auxilium medicum non prius sollicitavit, quam diebus undecim praeterlapsis. Inveni aegrum dormientem, facie lurida et fere coenosa: quaestionibus aegre respondit, partim ob dolores tumoremque colli. Ab undecim inde diebus nullam adfuisse alvi excretionem, doloribus abdominis et stomachi acerbis excruciatum fuisse. Fere semper calorem fuisse nimium, somnum defecisse, variaque existitisse deliria. Inquirens curatius, inveni oris cavitatem totam mucosam tenaci, albido obductam, linguam vero crusto flavo-brunea, Uvula

et glandulae submaxillares parumper tumidae apparebant. Praecordia tenfa et dolorifica: abdomen tactum non ferebat ob summam sensibilitatem; pulsus dicrotus, sexagesies tantum in minuti primi tempore feriens. Urina dicebatur brunea, paucaque excreta fuisse. --- Diebus sequentibus clysmatibus excretio alvina quidem restituta fuit: sed accessit anxietas et asthma pertinax: sonitus peculiaris inter respirandum, qui a tenacibus oriri videbatur fordibus, et qui in rostrum degenerabat. Cavitas oris mucò plena tenaci atque albo, pulsuum ictus octoginta ad nonaginta in minuto primo. Ingravescit mox anxietas et dyspnoea, ut nonnisi elevatis vehementer scapulis et thorace inspirare posset. Facies, mane adhuc rubra et turgida, diei XXVIII. Febr. vespera jam collapsa et hippocratica erat: pupilla dilatata: oculorum acies offuscata, ipsique oculi turbidi. Pulsus magis magisque decrefcebat robore, augebatur autem frequentia et irregularitas, ut demum insigniter intermitteret. E naribus mucus flavidus, purulentus stillabat. Delirium mite accessit: atque aeger prae anxietate enormi pectus ubique indigittavit. Hora sexta vespertina vivis decessit.

Aperto cadavere vidimus phaenomena morbosa sequentia:

1. Intestina omnia et ventriculum nimis incrassatis parietibus instructa, ac internas eorum tunicas gelatina tenaci obductas.

2. Vescicam urinariam ad rupturam usque urina repletam, concretam autem insuper adeo arcte cum peritoneaeo, ut dirimi inde facile baud potuerit.

3. Pulmones dextros firmissime cum pleura et diaphragmate cohaerentes, ut separari nequiverint: parenchyma pulmonum hinc inde inflammatum, alibi vero incrassatum atque induratum, ut, dum transcinderetur, sonitum peculiarem ederet. Bronchia et ipsa arteriae asperae cavitas repleta muco copioso tenaci. Eodem modo se pulmones sinistri habuerunt.

§. 36.

Epicriss.

Quamvis per paucos tantummodo dies aegrotum observaverim, a veritate tamen alienum mecum arbitrium esse non autumo, si inflammationem lentam atque haud valde manifestam pulmonum, iudicaverim, quam secutam denique fuisse ejusmodi concretionem, propabile mihi videtur. Quod quam verum sit, ex sequenti paragrapho forsan uberius ac amplius elucebit.

Cordis cum pericardio concretio.

Non raro hae concrectiones praeternaturales reperiuntur. Dum recentes sunt, filamenta tantum referunt, aut vermes aut capillos, a cordis superficie ad pericardium usque tendentes: unde fabula de pilosis cordibus explicari posse videtur *). Nonnumquam vero membranae firmiores, lobis latiusculis instructae apparent, quae, vasis sanguiferis praeditae, cor cum pericardio jungunt. Alioquin plenaria adest atque totalis cordis cum pericardio cohaesio, ut unicum fere corpus sistant, atque ut cor carere pericardio videatur. Simul etiam pericardium firmiter diaphragmati adhaerere solet, ac in pleura et ostiis vasorum magnorum loca ossificata apparent.

Quod symptomata attinet, quae hac concrectione efficiuntur, nonnumquam videtur omnibus phaenomenis morbofis carere: sed credendum, tunc in agone mortis demum produci relaxatione universali. Cui quidem contradicit, tanquam regulae exceptio, HAENII **) observatio, quod nempe cor cum pericardio

*) MORGAGNI ep. XXIV. n. 4.

**) SENAC traité du coeur, vol. II. p. 334.

dio, pulmões cum pleura, cum mediastino, diaphragmate et majoribus vasis sanguiferis firmiter concreta inventa fuerint, neque tamen ulla vel pulsus vel respirationis aberratio ad mortem usque perciperetur. Alioquin pulsus intermissio ac mira irregularitas, respirationis summa difficultas, anxietas incredibilis et palpitatio cordis assidua comitantur hanc concretionem.

Causa, qua plerumque haec concretio producitur, fere semper in inflammatorio statu cordis et pericardii quaerenda, qua transsudatio lymphae organicae producitur. Existunt tamen observationes, ubi sola polyporum cordis generatio occasionem praebuisse ad hanc concretionem videbatur. Fuit quoque sequela compressionis pericardii a tumoribus purulentis externis pulmonum, quibus semper proxime secum cohaerebant cor et pericardium **).

C. In abdomine.

§. 38.

Ope peritonaei et omenti frequentissime concretiones hic occurrunt, quibus viscera fere omnia

*) Heilungs-Methode, Th. II. K. 8. S. 173.

**) BAILLIES Anatomie des krankhaften Baues, S. 4.

abdominalia vestiuntur, cum et peritonaei et omenti fructura laxa, glandulosa, vasculosa sit, et insignis vaporis copia, iugiter exhalans, ad hoc concretionum vitium magnopere proclivia eadem reddat. Quae cohaesiones dum flaccidae sunt ac separatu faciles, dum conglutinantem tantum sistunt membranam; repente atque momento fere oriri possunt, neque ulla quoque praegredi debet functionum insignis aberratio. Quodsi vero firmiores fuerint, vasisque instructae, diutius jam adfuisse debent ac vario modo functiones laesisse. Inflammationes praegressae viscerum abdominalium; stases sanguinis in vasis abdominalibus; scirrhusi tumores aut indurationes glandularum, quae hydropibus junctae sunt, occasionem pleurumque praebent, ut ita viscera abdominalia concrecant. Non rarum itaque est, totam peritonaei superficiem corpusculis glandulosis, solidioribus obitam inveniri, aut hydatidum copiam in ejus superficie conspici, si unquam viscera abdominalia praeter naturam cohaeserint. Quaedam quoque concretiones viscerum abdominalium tanquam sequelae pressionis, quam incurvata spina dorfi exercuit, apparent.

§. 39.

Praeter ligamenta naturalia, quae hepar cum diaphragmate conjungunt, in statu praeternaturali saepius conglutinans nova membrana oritur, aut li-

gamentum laxum ex firmiore tela cellulari conflatum, quod hepatis superficiem cum duodeno aut etiam cum ventriculo arctius necit. Non raro hepatis simul suppuratione aut exulceratione laborat, ubi quoque ligamenta ejusmodi praeternaturalia levaminis aliquid afferre videntur, quia obstant, quominus pus aut ichores possint effluere: hydatides in concava hepatis parte: ascitici tumores, scirrhi aut inflammationes hepatis plerumque simul adsunt, ubi concretio haec praeternaturalis contigit.

§. 40.

Lienis cohaesiones praeternaturales cum diaphragmate, cum ventriculo, cum ipso demum hepate *) haudquaquam raras sunt. Sequi videntur inflammationes, suppurationes et scirrhosas lienis indurationes; efficiunt autem statum cachecticum et emaciationem totius corporis.

Omentum cum ventriculo, variisque visceribus abdominalibus concretum, tunc praesertim observatur, cum nimis pingue ac crassum est. Intestina ipsa cohaerent saepissime ita praeter natu-

*) Morgagni ep. XVII, n. 6.

ram, ut mox membranis flaccidis conglutinantibus, jam firmiore tela cellulari, nunc substantia fere cartilaginea, vel hinc illinc, vel ubique, uniuntur, ut glomerem unicum fiant. Simul intus susceptiones intestinorum variaequae contortuplicaciones adefse solent, quibus quatenam symptomata possint oriri cuius facile patebit. Frequens fatis est, obstructiones pertinacissimas, ileum, cum vomitu assiduo stercoreaceo, meteorismum, mortemque ipsam sequi, quoties ejusmodi adsunt firmiores concreciones. Cohæsiones vero laxiores haud ita sanitatem laedere possunt, cum a sola relaxatione originem ducant. Brevi quoque ante mortem non raro ortas fuisse, ipsa inspectio docet. Saepius vero ex stasibus vaforum abdominalium, ex hydropicis et scirrhis viscerum abdominalium tumoribus et ex ipso inflammatorio statu nascuntur, ubi mirum quantas producant et quantopere diras functionum læsiones.

§. 41.

Concreciones intestinorum hernia prolapsorum cum omento, peritoneo, et anulo abdominali non raræ sunt. Ill. REILIUS, egregie de iisdem agens, distinxit in filamentosas, carneas et mucosas seu spongiosas *). Has quidem plerumque mortis ago-

*) Memorab. clinic. fasc. I. p. 30 - 38.

ne ipso produci: filamentosas vero posse quandoque repositionem herniae admittere, dummodo resorbtio humorum effusorum ope vasorum lymphaticorum adaugeatur, statuit. Constrictio continua anuli abdominalis, aut superficialis intestinorum et peritonaei inflammatio quandoque potest tanquam causa adhaesionis istius praeternaturalis accusari. In epiplocele frequentior est, ob glandulosam et flaccidam ejus structuram.

In embryonibus non raro testiculi cum intestinis cohaerent, aut peritonaeum mittit ligamentum vel duplicaturam ad intestinum ileum, ut hoc modo facilius hernia congenita possit oriri *).

Subinde quoque observatur, hernia prolapsa intestina, omentumque cum tunicae vaginalis superficie arctissime cohaerere filamentorum ope praeternaturalium, quae utrasque partes conglutinaverunt. Non rarum denique est, superficiem testiculi cum tunica vaginali et albuginea ope telae cellularis aut membranae propriae conglutinantis oriri.

§. 42.

Ovaria cum peritoneo aut cum simbris tubarum Fallopiarum non raro cohaerent praeter natu-

*) WRISBERG in Comment, societ. Götting a. 1779.

ram: quod vitium saepius sterilitas sequitur, cum fimbriae amittant facultatem, ovula ex ovarii attrahendi et in uterum deferendi. Oritur autem haec concretio ex inflammationibus peritonaei, seu ex febre puerperali, deinde etiam ex hydatidibus ovariorum, ex scirrhis et hydropicis eorum tumoribus; maxime vero ex coitu nimio aut masturbacione muliebri, cum frequentior solito orgasmus humorum versus has partes transudationem augeat atque ita concreciones producere possit.

§. 43.

Atresia ani.

Commune sane vitium, praesertim in recens natis, quod varias intestini recti passiones supponit. Oritur enim non raro a sola nimia sphincteris contractione, quae sequitur stimulos externos in corpus tenerum infantis nuper nati agentes. Spastica haec contractio per aliquod tempus continuans periculosam producit stercoris coacervationem. Nonnunquam vero, vitio congenito, plica ab integumentis externis supra orificium ani extenditur, quae et valis et fibris muscularibus interdum instructa est, ac foras protenditur, dum conatus deponendi faeces ad finem ani usque easdem depreffit. Observatio quo-

que docuit, anum interdum, connato vitio, terminari in vaginam aut in vesicam aut in urethram, ita ut stercorea semper vel per urethram cum urina vel per vaginam excerni deberent *).

Fit praeterea subinde, ut intestini recti orificium liberum quidem sit ac pervium, ad altitudinem autem aliquam connatum atque membrana quadam peculiari obferatum. Adfuit etiam finis plane coecus intestini recti, ut in saccum libere in pelvis cavitate pendentem exiret, qui nullo modo perforatus esset. Exstiterunt denique casus, ubi intestinum rectum penitus deficeret et colon ipsum sacco coeco terminaretur, aut ubi intestina crassa, cavitate penitus destituta, ubique in massam solidam connata essent **).

Mirum sane est cum his vitiis et vitam et, quod fidem fere superat, satis secundam valetudinem consistere potuisse. Apud BARTHOLINUM ***) legimus historiam atresiae congenitae, quae ad quadragesimum usque annum persisterat, atque quovis secundo aut tertio die regressum faecum per ventri-

*) WRISBERG in comment. societ. Götting. a. 1778.

**) PAPPENDORF, von der Verschliesung d. Afters bei neugeborenen Kindern, 8. Leipz. 1783.

***) Obf. cent. I. hist. 65.

culum, vomituque rejectionem produxerat, illaesa ceteroquin sanitate. Quodsi forsan mendacem vocaveris atque malae fidei BARTHOLINUM: en simile plane exemplum nuperum a BAUXIO narratum, ubi ad decimum quartum annum usque, salva sanitate, excrementa per os ejiciebantur, urina vero per mammas defluebat, cum et intestinum rectum et vaginae orificium deficerent *).

Alioquin teterrima saepius symptomata sequuntur ejusmodi atresiam in recens natis infantibus, anxietates nimirum, clamores continui, convulsiones, ipsa subitanea mors, nisi membrana externa orificium obducens fuerit transeissa. Nonnumquam vero natura aperuit sibi anum succedaneum, in ambitu abdominis, per quem excrementa omnia deijciuntur: qui casus a MERYO et PETITO observati sunt **).

§. 44.

Atresia vaginae.

Satis vulgaris est observatio, hymenem nimis firmum esse atque occludere aditum ad vaginam, quae

*) Journ. de médec. vol. VIII. p. 59.

***) Apud Pappendorp. p. 51.

a pristinis inde temporibus instituta fuit. ARISTOTELES enim jam docuit, atresiam hanc nullo modo molestam esse usque ad pubertatem, ubi congestio sanguinis per has partes emanaturi perrumpat nonnumquam hymenem nimis firmum ac tenacem, arte interdum quoque apertum fuisse*). Symptomatum cohors maxime periculorum inde exurgit; praesertim ischuria et obstructio alvina, colici dolores, anxietas et lipothymia, maxime vero sanguifluxus ex aliis partibus, epistaxes, haemoptyses, haematemeses, sudores cruenti, lacrimae cruentae, quovis mense recurrentes. Nonnumquam hymen a congesto sanguine ita expanditur atque protenditur, ut speciem vesicae referat ante genitalia prolapsae, quae demum vel natura vel arte rumpebatur. Rarissimus sane est casus quem FABRICIUS HILDANUS**) narrat: feminam hymene calloso genitalia oclusa habuisse, coitum inde impeditum fuisse, menstruum tamen sanguinem, ope foraminulorum hymenis, emanasse. Conferatur praeprius TOLLBERGII egregia commentatio de hymenum varietate. 4. Hal. 1791.

*) De generat. animal. lib. V. c. 4. p. 1320. (ed. Pac. 4. Aurel. Allobr. 1609.

**) Cent. III, obs. 60.

Subinde aditus ad vaginam liber fuit, sed ipsi vaginae parietes praeter naturam concreti, vel partim vel per totum tractum, reperiuntur; ita ut ultimo casu nec defluere rite menstruus sanguis nec foecundari potuerit mulier. Oritur hoc vitium vel tamquam sequela formationis secundariae in utero materno: vel sequitur inflammationes et excoitationes vaginae, quae frictionem nimiam aut rudem tractationem aut impuritates supponunt, quibus fit, ut urina, assiduo has partes afficiat.

§. 45.

Atresia uteri.

Uteri orificium imperforatum nonnumquam invenitur, quod vitium vel congenitum est, vel sequitur morbos organicos partium. Dum congenitum est, occluditur membrana propria, quam prae aliis egregie descripsit MORGAGNIUS *), autumans tamen, foraminulo forsan fuisse perforatam, ita ut conceptio fieri potuerit. Dum vero acquisitum est malum, comitatur polypos uteri, qui, mole sensim aucti, non solum comprimunt, sed obstruunt quoque orificium uteri. Nonnumquam vero post partus difficiles, post inflammationes uteri et exulcerationes


*) Ep. XLVI, n. 17.

fungosa five carnea adest prope os uteri excrescentia, quae ita occludit istud, ut nulla fieri possit conceptio. WALTERUS quidem, ex inventis ejusmodi atresis argumentum derivavit, pro theoria conceptionis nova, quod nempe interdum semen virile haud adeat uteri cavitatem, sed ex vaginae parietibus reforbtum, illico ad ovaria transvehatur *). Liceat vero, salva tanti viri auctoritate, de hac argumentatione dubitare, cum concipere omnino potuerint mulieres, priusquam haec excrescentia, sequela morbi acquisiti, oriretur. Quodsi vero probatum fuerit, atresiam orificii uteri vere congenitam fuisse in iis mulieribus, qui tamen conceperint, partes summi viri omnino defendendae esse videntur.

*) von den weibl. Geschlechtstheilen, S. 21.

THESES.


- I. Obstructio partium, qualis vulgo traditur, nullo modo affumi posse videtur.
 - II. Metastafium theoria ex sympathicis potius secretionibus quam ex erroribus humorum secretorum explicanda esse, videtur.
 - III. Lunae efficacia in corpus humanum infinite parva nequaquam explicat periodicum morborum recursum.
 - IV. Chirurgiae theoretica pars pathologiae accensenda esse, neque ipsa chirurgia aliud ac operationum doctrinam continere debere videtur.
-





1078

PICA



D E

(12)

CONCRETIONIBUS ORGANORUM MORBOSIS,

CO

I

MEDIC.
INST

GR

IOAN

